



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitvlvm I. Ut nullus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

libent, & idèd per particularem consuetudinem, aut statutum immutari non possunt, ut contra naturam fundationis, & cum diminutione divini cultus, etiam absentibus proveniant; talis enim consuetudo hinc reprobatur, & in Trident. *cit. c. 12.*

6 Quarta Exceptio, quòd Papa ex causa justa privilegium dare possit, ut absentes legitime unà cum fructibus etiam distributiones percipiant: nisi tamen id in concessione exprimat, non debet censeri comprehensum, tum quia nomine fructuum beneficij non veniunt distributiones quotidianæ, si ea sint distincta à fructibus præbendæ; tum quia talis concessio in absentia lucrandi distributiones, insolita est, seu non facile à Sede Apostolica concedi solita, sicuti hic notat *Andreas V. adfuerint, Ancharan. n. 3.*

7 Notandum secundò, Capitulares circa fructus præbendarum, & distributiones lucrandas statutum rationabile, & sacris Canonibus non repugnans, propter Ecclesiæ utilitatem, ex majoris partis consensu, condere possunt. Ita sumitur ex hoc cap. & notat *Gl. V. ordinationem. Ancharan. not. 5.* Videri etiam potest *Gl. in c. 2. V. statutum, de verborum significatione in 6* ubi ait, licet Capitulum sine Episcopo statuta condere nequeat, quæ tangunt generalem statum Ecclesiæ, aut Episcopum, vel jura eius, si tamen statuunt super id, quæ non tangunt

Episcopum, vel jura ejus, sed sua propria negotia, videlicet circa distributionum obventiones, modum, aut tempus convocandi, vel comparandi in capitulo, valere capituli statutum sine Episcopo, prout etiam docui *lib. 1. tit. 4. c. 7. n. 10.*

Hoc adde. Honestius, & Juri communi magis congruum esse, ut pro omnibus horis unà cum officio Missæ, distributionum partitio fiat, & ita omnino faciendum, si distributiones de novo constituantur, secundum mentem Trident. *sess. 21. c. 3. de reformatione.* & videre licet apud *Garziam p. 3. c. 2. n. 487.* Interim valet consuetudo quarundam Ecclesiarum, quæ distributiones ordinant per certas horas, & Missæ officium, sicuti ex communi tradit *Navar. consil. 9. hoc tit.*

Notandum tertio. Distributiones, quæ dantur in anniversarijs defunctorum, æquiparantur distributionibus quotidianis, ut præsentibus tantum obveniant, quare *Domin. & Francus in fine hujus cap.* ajunt, præsentibus constitutione damnari consuetudinem, aut statutum, siquod sit in aliqua Ecclesia, ut Canonici, aliique Clerici, qui funeri non interfunt, æquè, ac alij præsentibus, cereos accipiant: si tamen infirmitate, vel ob Ecclesiæ negotia impediti sint, tunc nihil obstat eos cereos vel similes obventiones accipere, uti ex suprâ dictis patet.

TITULUS V. DE PRÆBENDIS ET DIGNITATIBUS.



Um Clerici in titulis Ecclesiasticis, quibus incorporati sunt, residere, & officium præstare teneantur, æquum & necessarium est, ut ipsis Præbendæ obveniant, & quibusdam eorum Dignitates, videlicet ijs, qui alijs præsunt, aut majora in Ecclesijs

officia administrant, juxta Juris regulam 55. in 6. qui sentit onus, sentire debet commodum, & contra,

CAPITVLVM I.

Ut nullus.

PARAPHRASIS.

Nemo, sive ex Clero, sive ex populo bona Eccle-

Ecclesiastica consanguinitatis jure sibi vindicare, aut postulare debet.

SUMMARIUM.

1. In bonis, seu juribus Præbendæ Ecclesiasticæ, non succeditur jure consanguinitatis.
2. Quam successionem, sive vi consanguinitatis, sive vi ultimæ voluntatis, adeo detestantur SS. Canonès, ut quidquid speciem talis successionis habet, horreant.

NOtandum. In bonis, seu juribus præbendæ Ecclesiasticæ non succeditur jure consanguinitatis. Ratio est, quia bona Ecclesiastica sunt Deo oblata à fidelibus pro victu, & sustentatione ministrorum Ecclesiasticarum dispositionem, & ordinationem Prælatorum Ecclesiæ. Ex quo sequitur primò, quòd Clerici jus præbendæ non à defuncto per successionem, sed ab Ecclesiâ, seu Prælato Ecclesiæ, per canonicam collationem, seu institutionem habeant. Secundò, quòd Clerico jus præbendæ conferri non possit ultra tempus vitæ suæ, quia beneficium dari debet propter officium seu ministerium Ecclesiæ, tale autem officium extinguitur per mortem. Tertio, licet jus præbendæ pertineat ad beneficiarium, quasi usufructuarium, principaliter tamen & radicaliter pertinet ad Ecclesiâ, ad quam etiam remoto beneficiario, præbenda devolvitur *c. relatum 12. de testamentis.*

Addendum. Quòd SS. Canonès adeò prohibent in beneficijs Ecclesiasticis, tum consanguinitatis, tum ultimæ voluntatis successionem, ut etiam ab omni eo, quod vel speciem ac similitudinem talis successionis præferre possit, abhorreant: quam ob rem caveatur, ne filius etiam legitime natus in eodem beneficio patri immediate substituat *c. veniens 5. c. ex transmissa 7. de filijs presbyterorum.* Et ne pactum, vel promissio alicui fieri possit de succedendo alteri in beneficio post mortem ejus *c. 2. de concessione præbendæ.* Ne-

que possit alicui conferri beneficium ea conditione, ut post ipsius mortem succedat alius v. g. consanguineus *c. accepimus 5. de pactis.* Item quòd vivente Prælato, a liòve beneficiario non possit de successore eligendo tractatus fieri, licet vita ejus desperata sit. *c. bona 36. de electione & c. nullus 7. distinct. 79.* Et quòd neque Papa, ne dum alius Prælatus, aut beneficiarius, successorem sibi deligere possit, uti ex communi docet *Abb. in cit. cap. accepimus n. 2.* Soler tamen quandoque Pontifex Episcopo, vel simili Prælato, Coadjutorem dare, cum succedendi potestate *c. petisti 17. causa 7. q. 1.* sed alteri inferiori Prælato, aut capitulo concessum non est, ut coadjutorem alicui det, cum succedendi potestate, cum sit regula canonica universalis, quòd beneficia, aut Prælaturæ, antequam vacent, seclusâ plenitudine potestatis papalis conferri, aut promitti non debent *cit. c. 2. de concessione præbendæ.*

CAPITULUM II.

Non liceat.

PARAPHRASIS.

Episcopus nullum Clericum ordinare potest, nisi ei alimenta, & sustentationem vitæ provideat.

NOtandum. Non licet Episcopo Clericum ordinare sine titulo sustentationis. Quòd spectato jure noviore intelligi debet de ordinatione in sacris, sicuti infra habetur *in c. 4. & c. cum secundum 16. hoc tit.* Olim verò neque minores Ordines alicui conferebantur sine titulo, juxta *c. 1. juncta Gl. V. neminem distinct. 79. & docet Gl. hic. Suarez de censuris dist. 31. s. 1. n. 31.*

CAPITULUM III.

Ratio.

PARAPHRASIS.

Gregorius I. intellexit, Episcopum Melennatem pro construendo castro publi-